

omnibus Ecclesiis, Monasteriis, et conventibus Christianæ Religionis sub nomine Conceptionis, festivis laudibus colendam esse: cunctisque Fidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ea die Missarum solemnibus, centum, primis autem, vel secundis vesperis, totidem, sermoni vero Verbi Divini de ea festivitate interessentibus, centum quinquaginta dies, concessione perpetuis temporibus duratura, de injunctis sibi pœnitentiis hæc Sancta Synodus largitur. » *Sess. 36. col. 393. tom. 17. Concil.* Eo tempore de Immaculata B. Virginis Conceptione acerrime inter Theologos digladiabatur; quapropter Patribus hujusce Concilii visum est ea de re in Synodo agi oportere, et Johanni de Turrecremata tunc S. Palatii Apostolici Magistro, mandarunt, ut quinam esset controversiæ status scripto declararet, suumque proferret iudicium. Paruit Synodo Turrecremata, sed omnis adempta fuit occasio expendendi quæ ille scripserat, nam Cardinalis S. Angeli Legatus Pontificis, Concilio præsidens, dixit Patres majoribus esse curis distentos, ut tantam rem possent discutere. Hinc factum, ut eo tempore, quo Decretum illud edidit Concilium, jam non amplius legitimum, sed schismaticum erat Conciliabulum, quia gravissimis impulsus causis, Eugenius Ferrariam transulerat Generale Concilium. Attamen Decretum illud Concilii Basileensis amplexata est Provincialis Synodus Avenione habita an. 1457. itidemque Universitas Parisiensis. « Et si non fuerit eo tempore ibi auctoritas Synodi, erat tamen auctoritas Virorum doctorum, ac sapientium. Nec parvi est momenti, Concilium illud, quod ad hanc determinationem attinet, a nonnullis Nationibus esse receptum; quodque magnopere est considerandum, non reclamante Summo Pontifice, et Sede Apostolica minime reprobante. » Ambrosius Catharinus in *disput. pro verit. Immaculat. Conception. B. V. M. ad Sanctam Synodum Tridentinam.* (16. Denique hoc idem Decretum ab Ecclesia, ejusdemque Rectoribus vel tacite vel expresse adprobatum est. In Basileensi enim Decreto definitum est ac declaratum, Doctrinam de Immunitate B. Virginis ab Originali peccato amplectendam esse; primo *tamquam Piam*; et Alexander VII. non alio nomine eam doctrinam indigitat, quam *Piæ Sententiæ*; secundo *tamquam Consonam cultui Ecclesiastico*, et hujusmodi Consonantiam inculcant Sixtus IV. Gregorius XV. et præfatus Alexander VII. tertio *tamquam Consonam Fidei Catholicæ, Rectæ Rationi, et Sacræ Scripturæ*; et hanc Consonantiam, nisi cognovisset Concilium Tridentinum, non excepisset suo Decreto de peccato Originali *Beatam et Immaculatam V. Mariam Dei Genitricem*, nec tot Pontifices in defensionem, favorem et exaltationem hujus doctrinæ, tot ac tam graves edidissent Constitutiones. Præterea declaravit Concilium: *Nulli de cætero licitum esse, in contrarium prædicare, seu docere*; et hoc quoque severius præstiterunt Paulus V. Gregorius XV. Alexander VII. Datum Concilium Basileense Festum Conceptionis B. M. Virginis, ex con-

suetudine antea celebratum, renovavit, mandavitque omnibus Ecclesiis sub nomine *Conceptionis esse colendum*; et fidelibus illud celebrantibus Indulgentias quasdam indulisit; et hæc omnia uberius executi sunt Sixtus IV. Gregorius XV. Alexander VII. Clemens XI.

(17. Concilium denique OEcumenicum Tridentinum anno 1545. celebratum de Immaculata Conceptione his verbis loquitur *Sess. 5.* « Declarat tamen ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato Originali agitur, Beatam et Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem, sed observandas esse Constitutiones fel. record. Sixti Papæ IV. sub penis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat. » Non abs re erit huc referre, quæ Cardinalis Pallavicinus in sua præciara *Historia Concilii Tridentini lib. 7. c. 3. n. 8.* literis mandavit; nempe Cardinale de Giaen, cum de peccato originali ageretur, proposuisse; ut tandem definitivam haberet Sententiam controversia de Conceptione B. Mariæ V., sed id non nisi ægre a Patribus exceptum, qui se non ita otio abundare asserebant, ut ad ea, quæ ad Catholicam Fidem non spectarent, intendere possent. Eodem *lib. cap. 7.* acres exponit controversias inter Patres exagitatas ex Decreto de peccato Originali. Cardinalem Paciecum sententiam dixisse, ut ad universalem propositionem, qua omnes homines declarabantur peccato Originali obnoxii, ea adderentur verba: « De B. Virgine declarat S. Synodus, se nihil definire, etsi credit, eam sine originali labe esse conceptam. » Alii addi desiderabant: « Prout magis pie a majori parte Ecclesiæ, vel a multis creditur, B. Virginem non esse conceptam in peccato Originali. » Nonnulli requirebant: « imponi silentium, et deinceps contra illam nullus audeat prædicare. » Alii vero responderunt: « Si non adfertur præjudicium B. Virgini, » vel, « dum non præjudicetur Conceptioni. » Immo Episcopus Claramontanus pronuntiavit: « De Conceptione placeret, quod absolute diceretur, B. Virginem conceptam esse sine Peccato Originali. » Curtenbroch. *Acta Concil. Trident. Sess. 4.* Sed Initis suffragiis Patres noluerunt contrariæ Sententiæ præjudicium ferre, quapropter editum est Decretum verbis superius allatis. Vid. Ambros. Catharinum in disputatione pro « Veritate Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ ad sanctam Synodum Tridentinam, præfat. »

(18. Summorum Pontificum Piæ sententiæ faventium seriem exordimur a Sixto IV. non quod antecessores Pontifices ab hac sententia alieni fuerint, vel Immaculatæ Conceptionis cultum ignoraverint, sed quia primus Sixtus multis præsentibus Doctissimorum Virorum disputationibus, Apostolicis Constitutionibus Immaculatæ Conceptionis cultum firmum, ratumque habuit in universa Ecclesia; Piamque sententiam ab omni censura vindicavit, et sartam tectam esse declaravit. Eiusdem verba hic referre juvabit, nam in prima Constitutione Conceptionis Festum Auctoritate

Apostolica solemniter instituit, eidem Missam et Officium designat, indulgentias et peccatorum remissionem proponit; in altera vero plura damnantur, quæ adversus Piam sententiam intendebant. Constitutione prima edita III. Kal. Martii anno 1471. ita loquitur Pontifex.

SIXTUS PAPA IV.

(19. Cum præcelsa meritorum insignia, quibus Regina cælorum, Virgo Dei genitrix gloriosa, sedibus prælata æthereis, sideribus quasi stella matutina præutilat, devotæ considerationis indagine perscrutamur, et intra pectoris arcana revolvimus, quod ipsa, (utpote via misericordiæ, Mater gratiæ, et pietatis, Amica humani generis, Consolatrix pro salute Fidelium, qui delictorum onere gravantur,) sedula oratrix, et pervigil ad Regem quem genuit, intercedit: dignum, quin potius debitum, reputamus, universos Christi Fideles, ut Omnipotenti Deo, cujus providentia ejusdem Virginis humilitatem ab æterno respiciens, pro reconcilianda suo Auctori humana natura, lapsu primi hominis æternæ morti obnoxia, eam sui unigeniti habitaculum Sancti Spiritus præparatione constituit: ex qua carnem nostræ mortalitatis pro redemptione populi sui assumeret: et immaculata Virgo nihilominus post partum remaneret: de ipsius immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias et laudes referant, et instituta propterea in Dei Ecclesia Missas, et alia Divina Officia dicant, et illis intersint; indulgentiis, et peccatorum remissionibus invitare, ut exinde fiant ejusdem Virginis meritis, et intercessione divinæ gratiæ aptiores. Hac igitur consideratione inducti, ejusdem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, auctoritate Apostolica hac in perpetuum valitura constitutione statuimus, et ordinamus, quod omnes et singuli Christi Fideles utriusque sexus, qui Missam et Officium Conceptionis ejusdem Virginis Gloriosæ juxta piam, devotam et laudabilem ordinationem dilecti filii Magistri Leonardi de Nogarolis Clerici Veronensis Notarii nostri, et quæ desuper a nobis emanavit, Missæ et Officii hujusmodi institutionem, in die festivitatis Conceptionis ejusdem Virginis Mariæ, et per Octavas ejus, devote celebraverint et dixerint, aut illis Horis Canonicis interfuerint, quoties id fecerint, eandem prorsus indulgentiam et peccatorum remissionem consequantur, quam juxta felicis recordationis Urbani IV. in Concilio Viennensi approbatæ ac Martini V. et aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, consequuntur illi, qui Missam, et Horas Canonicas in festo Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, a primis Vesperis, et per illius Octavas, juxta Romanæ Ecclesiæ Constitutionem celebrant, dicunt, aut Missæ Officio, et Horis hujusmodi intersunt, præsentibus perpetuis temporibus valituris. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1476. III.

Kal. Martii, Pontificatus nostri anno sexto. In altera vero Constitutione edita pridie Nonas Septembris anno 1483. laudatus Pontifex loquitur verbis tenoris sequentis.

SIXTUS PAPA IV.

Grave nimis gerimus et molestum, cum sinistra nobis de quibusdam Ecclesiasticis personis referuntur. Sed in eorum, qui ad evangelizandum verbum Dei sunt deputati, excessibus prædicando commissis, eo gravius provocamur, quo illi periculosius remanent incorrecti; cum facile deleri nequeant, qui multorum cordibus sic publice prædicando, diffusius et damnabilius imprimuntur errores. Sane cum Sancta Romana Ecclesia de intemeratæ semperque virginis Mariæ Conceptione festum solemniter celebret, et speciale ac proprium super hoc Officium ordina-verit: nonnulli, ut accepimus, diversorum Ordinum Prædicatores in suis sermonibus ad populum publice per diversas civitates et terras affirmare hactenus non erubuerunt, et quotidie prædicare non cessant, omnes illos, qui tenent aut asserunt, eandem Gloriosam et Immaculatam Dei Genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse Hæreticos; ejusdem immaculatæ Conceptionis celebrantes, audientesque sermones illorum, qui eam sine hujusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare graviter. Sed et præfatis prædicationibus non contenti, confectos super his suis assertionibus libros in publicum ediderunt: ex quorum assertionibus et prædicationibus non levia scandala in mentibus Fidelium exorta sunt, et majora merito exoriri formidantur in dies. Nos igitur hujusmodi temerariis ausibus, ac perversis assertionibus ac scandalis, quæ exinde in Ecclesia Dei exoriri possunt (quantum nobis ex alto conceditur) obviare volentes, motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, et certa scientia, hujusmodi assertiones Prædicatorum eorumdem, et aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eos qui crederent aut tenerent, eandem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione præservatam fuisse, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare; aut hujusmodi Officium Conceptionis celebrantes, seu hujusmodi sermones audientes alicujus peccati reatum incurrere, utpote falsas et erroneas, et a veritate penitus alienas; editosque desuper libros prædictos id continentes, quoad hoc auctoritate Apostolica tenore præsentium reprobamus, et damnamus. Ac motu, scientia et auctoritate prædictis, statuimus, et ordinamus, quod Prædicatores verbi Dei, et quicumque alii, cujuscumque status, gradus aut ordinis ac conditionis fuerint, qui de cætero ausu temerario præsumperint in eorum sermonibus ad populum seu alias quomodolibet affirmare hujusmodi sic per nos improbatas et damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere, habere, postquam de præsentibus scien-

tiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant; a qua ab alio quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequeant absolutionis beneficium obtinere. Item motu, scientia et auctoritate similibus, simili poenae ac censuræ subjicientes eos, qui ausi fuerint asserere contrariam opinionem tenentes, videlicet Gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale; cum nondum sit a Romana Ecclesia et Apostolica Sededecisum: non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque, quibus communiter vel divisim a Sede Apostolica indultum existat; quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Et ne de præmissis aliquando valeant ignorantiam allegare, volumus, quod locorum Ordinarii requisiti præsentem Literas in Ecclesiis consistentibus in eorum civitatibus et suarum Diocesium, et locis insignibus, dum major ibi multitudo populi ad Divina convenerit, sermonibus ad populum mandent et faciant publicari. Præterea, quia difficile foret præsentem Literas ad singula loca, in quibus expediens fuerit deferre: etiam volumus, et dicta auctoritate decernimus, quod earundem Literarum transumpto manu publici Notarii confecto, et authentico alicujus Prælati Ecclesiastici sigillo munito, ubique stetur, prout staretur eisdem originalibus Literis, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reprobationis, damnationis, statuti, ordinationis, voluntatis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1483. pridie Nonas Septembris, Pontificatus nostri anno decimo tertio.

(20. Eodem Sæculo XV. Sixti exemplum secuti sunt Innocentius Papa VIII. anno Domini 1489. Const. *inter innumera*, edita pridie Kalend. Maji, et Alexander P. VI. anno 1502. Const. incip. *Illius qui se pro Dominici Gregis salvatione*, edita VIII. Kalend. Martii, qua Sixti IV. Constitutionem *Gravenimis* innovat et confirmat, et sub iisdem poenis, ac censuris inviolabiliter observari mandat. Sæculo XVI. Julius Papa II. anno Domini 1511. Constitutionem edidit incip. *Ad statum prosperum et felicem Ecclesiarum*; Leo X. tribus Constitutionibus plura concessit celebrantibus Festum Conceptionis B. V. nec minus Hadrianus VI. Paulus III. Pius IV. eidem Piæ sententiæ faverunt, editis Constitutionibus, quibus vel Tridentini Decreta confirmant, vel Confraternitates sub titulo Immaculatæ Conceptionis erectas approbant, et privilegia nonnulla indulgent. Conqueritur autem S. Pius V. in Constitutione 114. in *Bullario Romano* anno 1570. edita, magno fidelium scandalo de utraque

sententia palam disceptari. Itaque graves poenas constituit in eos, qui in Concionibus, vel in publicis virorum et mulierum conventibus alterutram opinionem auderet attingere; facta tamen viris doctis potestate disputandi in Academiis, quin uti erroneam alterutram damnet sententiam. In eadem Constitutione Bullas Sixti IV. et Tridentini Concil. Decretum confirmat. S. Pium V. sequitur Gregorius XIII. huncque Sixtus V. cujus Constitutionis verba tertio Kalendas Junii editæ ann. 1588. referemus, quoniam revocat constituta in Bulla S. Pii V. quoad Piæ sententiam; nam piæ et laudabile propositum asserit Purissimam Conceptionem Fidelibus prædicare et explanare.

SIXTUS PAPA V.

(21. Ineffabilis, Beatæ et Gloriosæ, semperque Virginis Dei Genitricis Mariæ meritum insignia, devotæ considerationis indagine perscrutantes, etc., dignum profecto, seu potius debitum reputamus, ut Fidelium vota, in ipsius B. Virginis laudem, et honorem edita, ad exauditionis gratiam libenter admittamus. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius, Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum, S. Francisci de Observantia nuncupatorum, tam suo, quam Fratrum dicti Ordinis nominibus, quod, cum omnes dicti Ordinis utriusque Sexus personæ, ex ipsius Ordinis instituto, Purissimam ipsius Dei Genitricis Conceptionem devotissime celebrare, ac illam condignis laudibus, et honoribus extollere, ac Fidelibus prædicare, et explanare, ipsiusque Festum maxima reverentia venerari consueverint; cupiantque, pro majori eorum spirituali consolatione, ipsius Conceptionis Officium in Choro per totam Octavam, ut in Festivitatibus Nativitatis, et Assumptionis ejusdem B. Virginis ipsi Fratres consueverunt, recitare; propterea Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eorum pio, et devoto desiderio annuere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos tam piæ, et laudabile propositum, ad ejusdem B. Virginis laudem, et honorem, fovere volentes, ipsorumque Ministri, et Fratrum, atque etiam Monialium erga hanc Sacratissimam Virginem devotionis affectum plurimum in Domino commendantes; hujusmodi supplicationibus inclinati, hac nostra præsentem Constitutione, perpetuo eisdem Ministro, ac Fratribus, et Monialibus concedimus, quod omnes, et singuli, etc. Officium Conceptionis ejusdem B. Mariæ, per totam ejus Octavam, ad instar Officii Nativitatis, in ejusdem B. Mariæ festivitate recitari soliti, tam in Choro, quam extra Chorum recitare possint, et valeant.

(22. Sæculo XVII. Tridentinum Decretum, Sixti IV. et Pii V. Constitutiones confirmavit Paulus Papa V. Constitutione 96. in *Bullario Romano*, qui adversus eos, qui parere volebant, alias addidit poenas. Anno autem 1617. postquam graves ostendit dissensiones, et scandala in fidelium populo exortas ex eo quod in publicis Concionibus, Thesibus, Lectionibus quidam ausi erant asserere B.

Virginem in Originali peccato fuisse conceptam, Decreto suo vetuit, ne deinceps aliquis id affirmare auderet, verum Decreto hanc addidit declarationem: « Per hujusmodi provisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsus præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu et terminis, in quibus de præsentem reperitur, præterquam quoad disposita. » *Constitut.* 105. Tria deinde anno 1622. constituit Gregorius XV. *Constitut.* 29. quæ Antecessores sui non attigerant. Primo, ut qui publice Immaculatæ Conceptionis defensionem susciperet, alteram sententiam minime impugnaret, quin prorsus sileret. Secundo, novis exortis contentionibus et discordiis in Christiano populo ex eo, quod privatim propugnaretur sententia Immaculatæ Conceptioni adversa, statuit, ne in privatis quidem actibus contraria sententia liceret defendi; exceptis iis quibus Sedes Apostolica id permisisset; permisit autem Fratris Ordinis Prædicatorum, modo privatim et inter se ea de re sermonem haberent. Tertio ut in Officio et Missa, quæ in Festo Conceptionis B. M. V. ab Ecclesia celebrabatur, non nisi Conceptionis nomine sive publice, sive privatim Fideles uterentur. Præter Urbanum VIII. qui Ordinem Equitum Immaculatæ Conceptionis adprobavit, deditque habitum, et plura concessit Privilegia Confraternitatibus sub eodem titulo, plurimum favit Alexander VII. sua percelebri Constitutione edita die octava Decembris anno 1661. quæ cum sit quedam historia Conceptionis B. M. V. ejusque cultus, eam prætermittere fas non est.

ALEXANDER PAPA VII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

(23. Sollicitudo omnium Ecclesiarum, quam licet meritis, et viribus longe impares, Dei Optimi Maximi voluntate, et providentia gerimus, in id Nos anxie tenet intentos, et vigilantes, ut scandala, quæ inter fideles pro humanæ naturæ corruptione, et fragilitate necesse est ut veniant, quantum fieri potest, paucissima exoriantur, utque exorta quam celerrime, et quam diligentissime amoveantur; nam iis per quos veniunt, certam peccati perniciem, quibus vero præbentur, præsens afferunt labendi periculum; quorum Nos pro nostro pastoralis officii debito, et damnum summopere dolemus, et discrimine assidue urimur.

§ 1. Sane vetus est Christi fidelium erga ejus Beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas, sententium, ejus animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia, et privilegio, intuitu meritum Jesu Christi ejus filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis præservatam immunem, atque in hoc sensu ejus Conceptionis festivitatem solemnem ritu colentium, et celebrantium; crevitque horum numerus, atque hujusmodi cultus post editas a fel. record. Sixto Papa IV. Prædecessore nostro in ejus commenda-

tionem Apostolicas Constitutiones, quas Sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque observari mandavit. Aucta rursus, et prorogata fuit pietas hæc, et cultus erga Deiparam post erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, Monasteria religiosorum Ordinum, et Confraternitates, ac concessas ab iisdem indulgentias, ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc sententiam, jam fere omnes Catholici eam complectantur.

§ 2. Et quia ex occasione contrariæ assertionis in concionibus, lectionibus, conclusionibus, et actibus publicis, quod nempe eadem Beatissima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in Populo Christiano cum magna Dei offensa scandala, jurgia, et dissensiones, recol. mem. Paulus Papa V. etiam Prædecessor noster vetuit horum opinionem præfatæ sententiæ contrariam publice doceri, aut prædicari. Quam prohibitionem piæ mem. Gregorius Papa XV. similiter Prædecessor noster ad privata etiam colloquia extendit, mandans insuper favorem ejusdem sententiæ, ut in sacrosancto Missæ Sacrificio, ac divino officio celebrandis, tam publice, quam privatim, non alio quam Conceptionis nomine uti quicumque debeant.

§ 3. Nihilominus, prout Venerabiles fratres Episcopi fere omnes Hispaniarum cum Ecclesiarum suarum Capitulis datis ad Nos literis exposuerunt, accedente etiam insinuatione Charissimi in Christo filii nostri Philippi earundem Hispaniarum Regis Catholici, qui specialem super hoc misit ad Nos Oratorem Venerabilem Fratrem Ludovicum Episcopum Placentinum, per quem etiam delatæ fuerunt ad Nos supplicationes Regnorum earundem Hispaniarum, pergunt aliqui contrariæ illius opinionis assertores contra præfatas prohibitiones tum privatim, tum publice præfatam sententiam aut impugnare, aut vellicare, et favorem a Romanis Pontificibus cultui, et festo secundum illam præstitum ita interpretari, ut frustrentur, immo Ecclesiam Romanam huic sententiæ, et cultui juxta illam Beatæ Virginis exhibito favere negant, pios Christianos fideles a sua pacifica quasi possessione disturbare conando, unde offensiones, scandala, et jurgia, quibus obviare voluerunt Paulus V. et Gregorius XV. nostri Prædecessores perdurant adhuc, et ex occasione eorumdem adversantium majora incommoda in posterum prudenter, et merito timentur. Quapropter super his tam præfati Episcopi cum Ecclesiarum suarum Capitulis, quam memoratus Philippus Rex, ejusque Regna Nobis pro opportuno remedio instanter supplicari fecerunt.

§ 4. Nos considerantes, quod Sancta Romana Ecclesia de intemeratæ semper Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter celebrat, et speciale, ac proprium super hoc officium olim ordinavit juxta piæ, devotam, et laudabilem institutionem, quæ a Sixto IV. Prædecessore nostro tunc emanavit; volentesque laudabili huic pietati, et devotioni,